Ch. Ravel. -

DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA

SISTENS

BREVEM

FUMARIORUM MEDICINALIUM

appareils à fumigations

HISTORIAM

CUM

DESCRIPTIONE

EMENDATI APPARATUS FUMARII

QUAM

CONSENSU

FACULTATIS MEDICAE GRATIOSAE HALENSIS

PRO

SUMMIS IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORIBUS

RITE CAPESSENDIS

DIE XIV. DECEMBRIS cIↄIↄCCCXXV

PUBLICE DEFENDET

AUCTOR

GUILIELMUS REINHOLDUS TOLBERG

SCHÖNEBECKIENSIS

HALAE

FORMIS FRIDERICI GRUNERTI

VIRO
ILLUSTRI EXPERIENTISSIMO AMPLISSIMO
DOCTISSIMO

CAROLO HENRICO DZONDI

PHILOSOPHIAE, MEDICINAE ET CHIRURGIAE DOCTORI
MEDICINAE ET CHIRURGIAE PROFESSORI PUBLICO ORDINARIO
FACULTATIS MEDICAE HALENSIS ASSESSORI ET DECANO

PRAECEPTORI AC FAUTORI DILECTISSIMO
SUMMEQUE VENERANDO

NEC NON

PATRI OPTIMO

IOANNI GUILIELMO TOLBERG

DOCTORI MEDICINAE ET CHIRURGIAE
IN SALINIS BALNEISQUE OPPIDORUM SCHÖNEBECK ET SALZA
MEDICO PRACTICO

HASCE LITERARUM PRIMITIAS

PIO GRATOQUE ANIMO

D. D. D.

AUCTOR

INTRODUCTIO.

E medicamentis, quae corpus hominis aegrum in integrum reſtituere feruntur, fumigationes recentiori tempore adeo laudatas, cum ſulphure, tum aliis rebus effectas accuratius pertractandas eligens, patris conſilio obſequium praeſto, quoniam in balneis Elmenſibus hoc remedium vidi adhibitum et in me ipſo ſum expertus. Itaque ſtudebo, ut hocce libello brevem hiſtoriam fumigationum in medicina uſitatarum in univerſum ac potiſſimum ſulphuris fumigationum ſuppeditem, varios apparatus hac in re adhibitos exponam, et ſingulos magis an minus ſint idonei, etiam graphidibus illuſtrem. Simul rationem hujus medicamenti adhibendi oſtendam, et morbos eos nominatim afferam, quibus ejusmodi fumigationes optime medentur.

Cui officio magnam ineſſe difficultatem, neminem fugiet. Nam fumigationis hiſtoria incerta eſt, et non niſi fragmenta reperiuntur, quae, quantum in me erat, exquiſita ſecundum temporis ordinem propoſui. Maximam partem ea ad mercuriales tantum fumigationes pertinent. De recentioribus fumigationibus ſulphure vel rebus aromaticis inſtitutis experimenta minus diligenter ſunt propoſita, quippe quae nunc nimis celebratae, nunc gravius ſint vituperatae, quam ut alterutri ſententiae aſſentire poſſim, ſed potius vera in medio

quaeram. Primam igitur tironis disſertationem peto a vobis, Lectores benevoli, ut clementius accipiatis et mihi indulgeatis.

---

§. 1.

Hiſtoria de fumo, fumatione, ſiccis lavacris fumalibus, tanquam medicamentis. [1])

Uſus fumi vetuſtiſſimis et ſanctiſſimis generis humani inſtitutis probatur. Eo ad Deos colendos in delubris, ad improbos daemones expellendos, ad incantationes et in oraculis, forſitan etiam ad praeparandos in morbis tollendis animos, ſicut ad aërem vaporibus peſtiferis impletum purificandum homines ſunt uſi. [2]) Crediderit quispiam, haec omnia jam homines acuti ingenii in medicina in hoc remedium adhibendum perducere oportere; nam negari nequit medicamentum, quod tam diu maxima cum utilitate uſurpabatur, cujus efficacitas naturae ordinem ſuperans non ſolum praedicabatur, ſed etiam oculis percipiebatur, vires habere maxime ſalutares. Attamen illud diutius non adhibitum eſt usque ad recentiora tempora, quibus accuratius in hoc ſtudium docti ſe converterunt. Obſervatum nempe eſt, medicamentis in fumum aut vapores reſolutis multo majorem eſſe efficaciam, quod praeſertim fieri

---

1) Schreger's Balneotechnik, Cap. XVI. p. 212. Zuſätze.

2) Dictionnaire des ſciences médicales.

ſolebat in obſervandis vaporum aquatilium lavacris, quae longe ante noſtram aetatem apud Graecos Romanosque erant uſitata. Hic clariſſime notabatur, quomodo vapores aquae fervidae in organiſmum magis penetrarent, quam aqua naturalis. Itidem experimenta, quae in rebus graviter olentibus inſtituebantur, optimos praebuerunt ſucceſſus.

§. 2.

Omnes tamen hae experientiae per longum tempus a medicis non receptae ſunt, ſed potius et magis ab iis, qui daemones expellere ſe poſſe opinabantur. Hi enim medicamento, quod temporibus inſequentibus tam efficax inventum eſt, eos morbos ſanaverunt, ut vel medici obſtupefierent. Anno demum 1513 Joannes de Vigo, 3) medicus primarius Julii ſecundi papae, eo fere tempore, quo lues venerea in Italia mirandum in modum graſſabatur, neque ullum remedium huic malo opponi cum ſucceſſu poterat, neque mercurius ipſe ſubſtantialis tantam ſuam in morbis aliis efficaciam ſemper praeſtabat, ad conſilium adductus eſt, eum in vapores diſſolvendi, quo facto finis praeclarus coronavit opus. Inde ab hoc tempore fumigatio locum in medicamentis obtinere videbatur, nam hujus remedii praeclara efficacia impulſi plures medici poſt Vigonem illud adhibuerunt, e. g. Guido Guidi, qui hoc re-

3) Dictionnaire des ſciences médicales. — Vigo pract. comp. lib. V. f. 33.

medium aliis omnibus praefert. Praeparata inprimis tunc temporibus erant cinnabaris et ſtorax. 4)

Fracaſtori fumigationes in ſingulis tantum partibus adhibuit. Praeter hos eodem fere tempore fumigatione contra ſyphilin uſi ſunt Cataneus, Benedicti, Ange, Bolognini, Nicolaus Maſſa. 5)

Non multo autem poſt methodi vaporum ex mercurio adhibendorum in oblivionem rurſus conciderunt, cujus rei cauſa fortaſſe imperfectis fumandi inſtitutis patet. Etenim plures medici, ac praecipue Fallopia, 6) hoc medicamentum malignum appellant.

§. 3.

Unum fere ſeculum praeterlapſum erat, antequam ullo modo de fumigatione denuo cogitabatur, vel potius alia experimenta hac de re inſtituebantur aut melius excolebantur, usque dum Bennet, medicus Anglicus, anno 1656 experimenta fecit, ut vaporibus ſiccis et aromaticis tolleret phthiſin. 7) Ejus apparatus fumigationis adhuc erat ſimpliciſſimus et arte plane carebat, adeo ut vix aliis ac aromaticis vaporibus fumigari poſſet. Tota enim conclavia vaporibus aromaticis com-

4) Dictionnaire des ſciences médicales.

5) Ibid.

6) Ibid.

7) Sammlung auserleſener Abhandlungen für pract. Aerzte, B. II. St. 4. pag. 107 — 116.

pleri juſſit, aegrotos eosque nudos intrare et aliquamdiu hos vapores inſpirare. Hunc applicationis modum *ſuffitum* vocabat. Res, quibus fumabat, thus, myrrha, ſtorax, benzoe, gummi guajaci, hederae reſina, maſtix, ambra fuerunt. Willis et ipſe hanc methodum laudavit et hanc ipſam ſaepiſſime applicuit, ratione uſus nonnihil mutata. Obſervaverat enim, aegrotos ſubito intrantes in conclave, vaporibus aromaticis impletum, plurimum ac vehementer tuſſire, quam ob rem paulo ante quam aegrotus intrabat, vapores aquaticos illi impertiri, et dum aegroti ibi verſabantur, vapores aromaticos explicari juſſit. Hac praeparatione pulmonis incitatio diminuebatur, ita ut tuſſis tolleretur. Idem gradus fumigationis quosdam conſtituit, quos *ſuffitus lenioris formulae, ſuffitus fortioris formulae, ſuffitus fortiſſimae formulae* ſ. *arſenicalis* nominabat. 8) Billard experimenta ſimilia hujus remedii praedicabat. 9)

§. 4.

Viris, quos nunc commemoravi, exceptis, hoc medicamentum per aliquod tempus non amplius excultum eſt, quoniam in omnibus experimentis permultum incommodi inventum eſt, quod in eo quaerendum erat, quod applicatio incommoda reperiretur, quia nimium inde exſpectabant, eoque in-

8) Sammlung auserleſener Abhandlungen für pract. Aerzte, B. II. St. 4. pag. 107 — 116.

9) Ibid.

cautius utebantur, atque inprimis in majoribus fumationibus non ſatis impediebant, quominus aegroti nimium inſpirarent.

Denique anno 1776 Lalouette,[10]) medicus practicus Pariſienſis, meliorem dedit inſtitutionem in fumationibus mercurialibus adhibendam. Apparatum compoſuit ligneum, ſimilem ſellae geſtatoriae, cum duobus foraminibus, altero in ſuperiore hujus parte, ubi caput exporrigi poſſet, altero, ut materies fumigationis in apparatum inſereretur. Quantumvis hic apparatus minime fuerit perfectus, ille tamen primus hodiernae inſtitutioni propius acceſſit, et obtinet laudem Lalouette, applicationis methodi admodum emendatae. Attamen inſerviebat et hic apparatus, et qui ad formam hujus elaborati erant fumigationibus tantum mercurialibus, quare tum Lalouette, tum Abernethy,[11]) qui illum ſecutus eſt, Londinenſis, ſimul peculiare ex mercurio remedium compoſuerunt, quale uſui maxime accommodatum eſſe videtur. Jam hic inventionibus plus attentionis tribui coeptum eſt, ita ut ſequenti ſeculo hic apparatus recens inventus in majorem perfectionis gradum eveheretur.[12]) Galés, doctor Pariſienſis, anno 1815 optime meritus eſt, quod fumationis apparatum magis perfectum et multis in rebus accommodatiorem inſtituit in hoſpitio, Ludovico ſancto dicato; ad ſanandam ſy-

10) Hufeland's Journal d. pract. Heilk. B. LVII. St. 4. p. 54 — 55.

11) Ibid.

12) Appareils à fumigat. déſcript. Etabl. ſ. les deſſins de M. d'Arcet. Paris 1814.

philin minus quam potius ad cutem ſanandam illum adhibuit; ideoque inventor fumationum ſulphurilium celebrandus eſt.

Doctor d'Arcet apparatum pluribus hominibus una uſurpandum inſtituit, eumque fiſtulis ſpirabilibus emendavit, qua ratione ciſta momento temporis vaporibus liberari poterat.[13]

Hoc exemplum plures Germani et Italici medici ſunt ſequuti, inter quos praeſertim digni ſint qui nominentur: Doctor de Carro, Vindobonenſis;[14] Aſſalini, Neapolitanus;[15] pater dilectiſſimus, Doctor in oppido Schönebeck.[16] Hi omnes apparatum perfectiorem et hac re applicationis modum efficaciorem, ſed minus periculoſum reddere ſtuduerunt.

§. 5.

Deſcriptio apparatuum fumigationis ratione potiſſimum eorum inventionis perfectionisque habita.

Hac brevi hiſtoria praemiſſa fumigationis apparatus deſcripturus ſum, unde major eorum vel minor utilitas intelligi poteſt. Primus apparatus huic fini idoneus, quem invenit Lalouette, ut ſupra jam dictum eſt, ex arca conſtabat, cujus in ſuperiore parte rotundum erat foramen, in quod caput

---

13) Appareils à fumigat. déſcript. Etabl. ſ. les deſſins de M. d'Arcet. Paris 1813.

14) Joſeph Wächter, Abhandl. über Bäder und Trinkwäſſer. Wien 1818.

15) Hufeland's Journal d. pract. Heilk. B. LIV. St. 1. pag. 115 — 123.

16) Dr. J. W. Tolberg, Das Soolbad zu Elmen, u. ſ. w.

immittebatur, ab anteriore et exteriore parte dimidium arcae porta inclufum erat, per quam aegrotus in apparatum perveniebat, et in inferiore hujus portae parte foramen erat, quod claudi poterat operculo, per quod fumationis res inferebantur et fumatione facta fumus exitum habebat. Ex hac defcriptione apparent illico incommoda hujus apparatus, fummo periculo conjuncta. Quomodo enim aptus erat et deftinatus fumationibus mercurialibus? qua tandem ratione in arca a vaporibus liberanda impediri poterat, quo minus aegrotus acutos infpiraret vapores? Vel quomodo aegrotus, fi in apparatu viribus deftitutus erat, fine periculo fuffocandi exportari poterat?

Hanc ob caufam ferius Galés, Doctor, optime meritus eft, quod apparatum non modo correxit, verum etiam experimentis vaporibus fulphureis in omnia genera eruptionum cutis adhibitis medicamenti hujus finem amplificavit. Ejus apparatus in hunc modum inftructus erat.

In plano arcam ligneam exftruxit duabus valvis inftructam, quarum altera ad aegrotum in ciftam immittendum, altera in fuperiore arcae planitie cum foramine capitis erat deftinata, ut caput arca claufa per illud emitti poffet. Hujus arcae inferior planities in tabula lapidea in multis locis perfoffa, pofita erat, in cujus fronte amplius erat foramen. Haec tabula fpatium protexit, quod infra tabula ferrea et a latere muris feu parietibus inclufum erat, in antica parte e regione magni foraminis. A tergo hoc fpatium foramine qua-

drato patebat, quod valva ferrea claudi poterat. Sub illa tabula ferrea focus erat, ſub quo cineris receptaculum. Ex arca lignea tres canales e lamina confectae ſurgebant, quorum medius ad fumum abducendum, duo alteri ad vapores abducendos erant inſtituti. Omnes tres fiſtulae operculis inſtructae et quae erant exterius poſitae, cum media junctae erant.

Hic apparatus multo perfectior erat: primum enim calori temperato, deinde inſtituto cuidam meliori, ut res fumando deſtinatae infererentur, denique vaporibus ex apparatu ſine aegroti et circumſtantium incommodis abducendis, quam optime erat conſultum. Quamvis autem hic apparatus emendatus eſſet, tamen mox ſatis vitiorum, quae erant corrigenda, oſtendebantur, quo minus tutum hoc medicamentum redderetur. Fiſtulae ſupra jam commemoratae, ut vapores abducerent, deſtinatae erant, quod vero fieri non poterat juſta celeritate, quoniam vapores graviores deprimebantur quidem, ſed pari celeritate non efferebantur, ut per fiſtulas exirent. Hac de cauſa d'Arcet apparatu fumigationis ſulphureae duodecim perſonis accommodate inſtruendo magnas ſibi paravit laudes, id enim praecipue ſecum reputabat, quod illi duodecim perſonae una ſimul intrare vel excedere, et ciſta aperta ſulphuris vapores ceteris moleſti exire poſſent, quod ut aſſequeretur, ſub foco etiam fiſtulam inſtruxit, cujus alterum foramen ad apparatum, alterum ad fumarium vergebat. Hoc per operculum claudi et aperiri poterat. Quare efficit, ut, quum ſupe-

riore fiſtula ad apparatum ducente aperta aër deſcenderet, vapores in apparatu ipſo verſantes illico depreſſi, poſtquam operculum fumarii erat apertum, per fiſtulam infra inſtructam ex apparatu dimoverentur; quod inſtitutum ad ſalutem aegroti multum contulit, quoniam tum huic, tum iis, qui circumſtabant, non amplius periculum ſuffocandi erat.

§. 6.

De Carro Vindobonenſis duce Galeſio apparatus ſuos inſtituit, et illius rationem abducendorum vaporum ita mutavit, ut tenuem modo fiſtulam cum fumario jungeret, quam per apparatus tegmentum duxit. Hoc inſtitutum vero fini multo magis repugnabat, quam Galeſii, conſtat enim inter omnes, vapores non niſi tam diu aſcendere, quam diu materia fumandi ardet; ſimulac haec exſtinguitur, vapores loco non moventur, et non niſi aëre contrario ad excedendum excitari poſſunt. Quodſi haec in illo apparatu deſint, maxime periculoſus eſt in fumandis rebus gravibus et peſſime inſtructus, quod etiam eventus oſtendit.

Aequo ac fere minori pretio Aſſalinii apparatus eſt, niſi deſcriptio et delineatio ejus ab auctore in annalibus Hufelandii prolata inventa eſt. Nam ex delineatione apparatum in fumationibus ſulphureis adhiberi poſſe omnimodo dubitari debet, atque inſtituta ſingularum apparatus partium magis ficta, quam re vera facta eſſe videntur.

§. 7.

Jam vero apparatibus praecipuis descriptis eorumque cum virtutibus tum vitiis enumeratis et comparatis venio ad apparatum, quo sulphure fumigatur, quem pater ad normam Galesii et ex idea d'Arceti in balneis Elmensibus instituit et aptis mutationibus emendationibusque in dies factis in optimum minimeque periculosum mutavisse videtur. Nos vero neque nimis arroganter neque injuste hanc sententiam protulisse, neminem latebit, qui descriptionem hujus apparatus sequentem, quae figuris illustratur, diligenter inspexerit.

Hic apparatus ab illis, quos nominavi, et in constructione nonnullisque partibus plane diversus est; externa tamen forma ab illo Galesii et de Carro non discrepat. Est vero lignea arca in plano sita; posterior pars altior est et ad frontem leniter declivis. A fronte haec arca janua aperitur, et in summa ejus declivitate duae valvae, foribus similes, reperiuntur, quae in commissuram clauduntur. Apertis his apparet sella versatilis multis in locis perforata, quae per cochleam et sublime et deorsum torqueri potest; praeterea scabellum perforatum, in suprema parte apparatus, in ejus tecto segmentum est semicirculi forma, quod, postquam anterior janua clausa, et valvae ambae foribus similes in juncturam suam repositae sunt, a fronte ab immissorio semicirculi formam describente, ita est circumdatum, ut foramen orbiculatum fiat, et coagmenta, si quae sunt, humidis lacineis linteis tegantur, et collum humido manteli circumvolvatur. Ut cista a vaporibus

liberetur, quum aegrotus apparatu exire vult, duo ſpiracula aëris facta ſunt, quorum unum pone colli foramen in ſumma parte apparatus; et eſt fiſtula lignea quadrangula, quae ex apparatu per conclavis tectum in aërem apertum exit, et intra apparatum operculō inſtructum eſt, quod funiculo aperiri et claudi poteſt. Aperta valva externus aër intrat et vapores ad ciſtae ſolum deprimit. Ad vapores hinc deducendos facta eſt altera fiſtula ſimili operculo inſtructa, in fundo apparatus, quae ſub foco transmeat, ibi caleſit, et aërem, quem continet, tenuat. Ad ſolitam purgationem nil opus eſt, niſi ut una ex valvis aperiatur; ſi neceſſitas urget, utraque: tunc vero arca paucis temporis momentis penitus vacuefacta, ſine periculo aegrotorum et ceterorum praeſentium aperiri poteſt.

Arca vero nititur in tabula quadam lapidea multis foraminibus inſtructa, ſub qua ſpatium patet, quod inferiorem verſus partem lamina ferrea cingitur et poſteriorem verſus in camino, quae extra conclave eſt, exitum habet, ubi oſtio obcludi poteſt. Hoc in ſpatio e camino res ad fumigationem pertinentes in parvam quandam trullam ferream immittuntur et in fervida lamina ponuntur. Subter hoc ſpatio focus eſt, qui ſimiliter foras in caminum exeuntes habet et ad calefaciendam ferream laminam uſurpatur. Ea fiſtula, quae igni aëris aditum praebet, in camino eſt, aeque atque os meatus, qui cinerem excipit. Explicatio imaginis pictae cetera, quae adhuc obſcura eſſe videntur, dilucida faciet. Ut arca etiam fluidis ſubſtantiis, cujus generis ſunt aqua, ſpiritus etc., im-

pleri poſſit, infundibulum adhibetur, quod pone apparatum eſt.

§. 8.

De ratione fumigationum ſulphurearum et ratione ſe habendi aegrotorum.

Aegrotus, poſtquam apparatum intravit, in ſellam verſatilem perforatam conſedit, quae reſpectu hominis ſtaturae vel alta vel humilis redditur, torquendo, et pedes in ſcabello ponit, ne vapores ferventes, qui per ſolum perforatum ſurgunt, eum attingant. Tum obcluditur ciſta, juncturae januarum humidis laciniis teguntur, collum madido manteli circumdatur, ne quid vaporum ſulphureorum abire poſſit. Priusquam tamen ſulphur vel ulla alia ſubſtantia infertur, aliquid aquae per infundibulum, quod pone ciſtam eſt, perfunditur, ut et apparatus pari modo caleſiat, et cutis ad fumigandum praeparetur, mollis et ad ſuſcipiendum aptior fiat. Deinde ſulphur, quod parva ferrea trulla continetur, in ferventi lamina ponitur et comburitur. Hoc decem momentorum intervallis interjectis bis vel ter fieri debet.

Quam moleſtum quidem videatur, hac in ciſta ſedere, valde tamen commodus et jucundus hic calor eſt, qui plerumque ab 36 usque ad 40 gradus R. creſcit, et per valvas jam ſupra commemoratas temperatus aut manere aut etiam minui poteſt.

Aegrotum, dum fumigatur, ita ſe habere neceſſe eſt. Simulatque cutis in ciſta humeſcere incipit, terat aegrotus

membra, aut manibus aut panno laneo quatenus manu attingere poteſt, nec ardorem ſudoremque nimis velociter elicere ſtudeat. Si impetigine aut aliis morbis cutaneis laborat, cupiditas fricandi ſaepe eousque augetur, ut ſaepe nec precibus nec minis impediatur; ſed quamdiu fieri poteſt, pruritus ſtringendo vel leniter panno terendo placandus; attamen ſi hoc nihil valet, fricabit non magno ſuo damno, quod poſt nonnullas fumigationes plane tollitur. Debiles et fumigatione vehementer affecti bene altera quaque die vel longiore etiam ſpatio temporis interlapſo eam ſumunt. Qui vero non ita afficitur, quotidie unam fumigationem accipere poteſt. Id quoque notandum eſt, fumigationes aromaticas magis, quam ſulphureas debilitare aegrotum. Si ſitis exiſtit, aegrotus patellam theae, vel chocolatae, vel tenue carnis jus ſumat. Matutino tempore fumigationes ſunt ſaluberrimae; qui vero ſcabie vel ulceribus ſunt affecti, veſperi etiam balneum calidum ſumere debent. Hoc pertinet et ad pruritum illum minuendum, et cutem ſoluta aſpera pituita purgandam. Semihoram conducet in eo manere; diutius an brevius hoc conditio valetudinis aegroti praeſcribet. Fumigationibus perfectis et arca omnibus vaporibus liberata et aperta, aegrotus breve tempus adhuc in arca ſedens maneat, accurate corpus detergeat, nec prius eam relinquat, quam neceſſariis calidis veſtibus indutus ſit; tum in calido conclavi veſtes lente induat, et conferat ſe in minus calida cubicula, lecto ſtratus aliquamdiu quieſcat, et quo recreari poteſt, fruatur.

§. 9.

Hic apparatus ſervit, ut e praecedenti deſcriptione apparet, ad totum corpus, capite excepto, efficaciae fumi objiciendum. Singula autem membra, e. g brachia, pedes, genitalia, anus, ut fumigari poſſint, minor ciſta majori inſeritur, quae membris fumigandis apta foramina continet, quae longiore deſcriptione non indiget, ſed quisque ipſe ſibi fingere et deſcribere poterit.

§. 10.

Omnes enumerare modos, qui his fumigationibus efficiantur, hoc loco longum foret, et nihil aliud atque conjecturas facerem. Utrum reſorptione cutis an recreante incitatione plexus nervorum cutaneorum efficacia ſequatur, hoc loco explorare nequeo. In ſcabie et in ulceribus efficacia vaporum ſulphureorum acerborum et ſuffocantium ad interficiendum acarum purgandaque ulcera facile explicari poteſt.

§. 11.

Morbi, qui ſulphureis fumigationibus optime ſanari poſſe videntur, inprimis hi ſunt:

1) Scabies, ad quam repellendam praecipue Galés in hoſpitio St. Louis fumigationes adhibebat, ut ſanationem ptiſanis efficiendam longinquam et incerti effectus aboleret, et multae conſumtioni medicinae parceret. Utilitas ex hac operatione hauſta non fefellit exſpectationem, nam ci-

tius et certius, quam adhuc ptiſanis et unctione factum erat, ſcabiem ſanabat.

2) Lichenes ſicci, qui ſanationi tam pertinaciter repugnare ſolent, fumigationibus ſulphureis mox exſtinguebantur, eodemque modo lichenes humidi, impetigines ſparſae omninoque morbi cutanei chronici et ulcera ignava, quae inveteraverunt, etc.

Hi ſunt morbi, ad quos ſolos ſulphuris fumigationes recte adhibentur.

Suffitus, qui cum aromaticis ſubſtantiis conjuncti ſunt, majorem habent efficaciam, cum non ſolum ad confirmandam hominum aetate provectiorum valetudinem apti ſint, ſed etiam circulationi cutis inſerviant, cutemque et mollem et laevem reddant, et tum venuſtati, cum viribus hominum proſint. Etiam ad ſanandum rheumatiſmum et arthritidem non ſine effectu illis uſi ſunt, ut jam antiquis temporibus ejusmodi ſuffitiones uſitata plebis et domeſtica medicina fuerunt et adhuc ſunt.

Si ſedem in ciſta, incitationem ſudoris minoris vel pluris, vires aromatum in aërem tenuatorum conſideras, non dubitaveris, quin iis ſalutares vires inſint, quod vero, ut conſequaris, ſulphur haud opus eſt.

§. 12.

Accidit ſaepe, ut remediis acribus, quae in certis caſibus adhibita optimum effectum edunt, medici nimis multum ex-

ſpectent, atque in morbis diverſi generis ea uſurpantes toties eventu fallantur, et ita illo medicamini omnis facile fides negatur. Idem jam fere ſuffitibus ſulphureis contigit, quia hi initio tanquam remedium univerſale laudati, et aegrotus et ceteri, qui aderant, cum in iis adhibendis diligentia neceſſaria negligeretur, periculo ſuffocandi ob ineptos apparatus expoſiti erant. Sed hacce deſcriptione apparatus a periculo liberi et conſilio congruentis ſpero, fore, ut tam efficax medicamen, quale ſulphurei et aromatici ſuffitus ſunt, non omni oblivioni tradatur.

§. 13.

Explicatio tabulae lapidi inſcriptae.

Fig. I. *A.* Conſpectus ciſtae transverſae.
aa. Internum ciſtae ſpatium.
b b. Sella verſatilis, *c c.* ejus cochlea.
d d. Scabellum.
e e. Opercula foribus ſimilia in declivi apparatus parte.
ff. Retinacula ad ea firmanda.
g g. Janua anterior, ut aegrotus in apparatum intrare poſſit.
h h. Fiſtula inferior ad abducendos vapores ex apparatu.
l. Valva ad claudendam fiſtulam ſuperiorem.
i. Manubrium ad aperiendam valvam.
k. Valva (ſub litt. *h h.*) praecluſionis.
m m m. (ſub litt. *l.*) hujus ſpatium internum.
n n. Catena ad valvam firmandam, *o.* libramento.
p p. Funis ad aperiendam et claudendam fiſtulam.
q. Thermometrum.
r. Hamus ad firmandam valvam (*e e.* et *g g.*).
s s. Anſae januarum aperiendarum.
t t. Superior et plana ſuperficies apparatus.

uuuu. Columnatio primaria in aditu apparatus, ut ciſta ex commiſſuris in ardore non diſcedere poſſit.

Fig. II. *B*. Conſpectus ciſtae longitudinalis.

b, c, d. Sicuti in figura antecedente.

e. Valvae foribus ſimiles apertae.

ff. Segmentum colli earum.

gg. Fiſtula inferior ad abducendos vapores.

m, p, q, t, u. Etiam aderat.

v. Infundibulum metalleum pone apparatum, quod laminam lapideam penetrat.

w. Epiſtomium ejus perforatum.

Fig. III. *D*. Conſpectus ciſtae ſuperior.

ee. Jam dudum valvae nominatae, quae in commiſſura poſitae et retinaculis No. 1. clauſae ſunt.

ff. Foramen peractum colli, operculo *xx*. oppoſito et retinaculis No. 2. firmatis.

m, n, p, q, t. jam ſaepe deſcripſi.

Fig. IV. *G*. Disſectio foci.

gg. Margo (ſub litt. *hh*.) jam deſcriptus.

hhh. Fiſtula ad abducendos vapores in inferiore parte ciſtae.

k. Valva, quae jam deſcripta.

ii. Lamina lapidea.

ccc. Perforationes lapidis.

bb. Solum apparatus.

A. Spatium ſub lapide, ut ſuffitum accipiat.

a. Ciſtella ad ſuffitum accipiendum.

d. Lamina ferrea.

f. Exitus ſpatii.

B. Focus et *f*. ejus exitus.

C. Receptaculum cineris.

THESES.

I.

Pſoitis cognitu difficilis eſt.

II.

Scarlatina ſine eruptione non exſtat.

III.


Cutis ſponte non abſorbet.

IV.

Non eſt mors.

VITA.

Ego, Guilielmus Reinholdus Tolberg, patre Joanne Guilielmo Tolberg, Doctore medicinae, et matre e gente Ritter, anno MDCCXCIX die XIII. mensis Aprilis in oppido, quod Schönebeck dicitur, natus. Prima pueritia in domo paterna institutus, deinde in Gymnasio Magdeburgensi cathedrali, postea in Orphanotropheo Halensi, denique in Gymnasio Berenburgensi litteris operam dedi. Tum mense Octobris anni MDCCCXX in academiae cives receptus sum. Ex hoc tempore scholas Cl. Meckelii de anatomia et normali et pathologica, Cl. Gerlachii de logica, Cl. Sprengelii de botanice et historia medicinae, Cl. Alb. Meckelii de physiologia, Cl. Nitzschii de zoologia, Cl. Schweiggeri de physica et chemia experimentali, Cl. Friedländeri de pharmacologia, anthropologia atque alienationibus et morbis mentis, Cl. Kruckenbergi de pathologia generali et speciali, etiam de chirurgia cum operationibus chirurgicis conjuncta, Cl. Niemeyeri de arte obstetricia frequentavi. Praeterea funera secandi exercitationibus, quas Cl. Fr. Meckelius instituit, deinde scholis clinicis chirurgicis Cl. VV. Dzondii et Weinholdii per tria semestria, Cl. Niemeyeri obstetriciis per unum annum, therapeuticis Cl. Kruckenbergi, Cl. Düfferi examinatorio pharmacologico interfui.


Zeichnung der Schwefel Räucherung
Fig. 1.
Fig. 2.
Fig. 3.
Fig. 4.
1 2 3 4 5 6 Fuss rhenl.